Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1481
Quelle:
Copyright:

ſterium. De Modo praedicandi. De uſu teſtimoniorum e ſacris Literis. De Univerſitatibus Scientiarum. De Promotionibus Academicis. De Diſputationibus contentioſis. De Bello. De Litibus forenſibus. De interiore Schola ſ. Spiritus. De ejusdem revelatione et illuſtratione interna. De Juſtificatione et imputatione meritorum Chriſti. De unione cum Chriſto. De ortu et efficacia verae Fidei. De Regeneratione. De Poenitentia. De Abnegatione ſui et imitatione Chriſti. De cultu et Eccleſia exteriore. Quod plurimi Paſtores tantum exteriora doceant. Quod plurimi perſonas accipiant, et ventris cauſſa adulentur. De ſ. Coena. De confeſſione, abſolutione et clavibus. De prava Miniſtrorum vita. De Methodo Reformationis chriſtianae. Ingratam ſane multis Eccleſiae Lutheranae Miniſtris operam locavit Autor, Academiarum hoſtis, jam in Pietiſmum, jam in Anabaptiſmum inclinans, in Doctrina Coenae Calvinianus. Eſt et, ubi Fanaticum dicas. An in lucem alicubi eluctatus, aut productus fuerit, neſcio.

DCXXXVIII.

R. 973 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 27. f. maj. nitide ſane, ſed mendoſe ſcriptus Titulum praefert: *De Sacroſancto Trinitatis Myſterio Lacinia Contra Socinianos. Admonitiones Quaedam Seu Prolegomena Huic Poſteriori Editioni Addita, Adverſus Recentes Ariomanitas, ſive inſtauratores Errorum Arii Hæreſtarchae.* Varia hic notanda. Pertinere hanc *Laciniam* ad doctum Card. *Joſephum Saenz de Aguirre Hiſpanum* ex Ord. S. B. Titulum usque ad τὸ *Admonitiones* novum eſſe; reliqua jam extare T. II. *Theologiae S. Anſelmi* ab hoc Viro ſecundis curis edito *Romae* a. 1689. Quid igitur eſt? Tertiam moliebatur hujus *Theologiae* Editionem aetate jam provectus *Aguirrius Romae*, ubi etiam a. 1699. occubuit. Colligitur id ex Operum ejus recenſu, de quo poſtea, ubi, poſtquam diximſſet, Opus hoc III. Tomis prodiviſſe primum *Salmanticae* 1679—85. dein *Romae* 1689—91. addit: *Tomi prædicti denuo Romæ in lucem exeunt* &c. Novae igitur huic Editioni parabatur *Lacinia* noſtra, quae quidem, ut jam innui, *Prolegomena* Tomi II. continet; verum multis locis longius producta. Neque gravabor enumerare acceſſiones: *Proleg.* I. *n.* 4. 6. 11. 21. *Proleg.* II. *n.* 27. 34. *Proleg.* III. *n.* 39. 41. *Proleg.* IV. *n.* 43. 45. 46. 48. 52. Poſt *n.* 56. duo *Numeri* novi inſerti ſunt, quaedam item medio *Numeri ult.* infarcta. Atque, ut ſpecimen acceſſionum proferam, *Proleg.* I. *n.* 4. haec adduntur: *Jurieum nihil moror, adhuc novaturientem, et delirantem, poſt tot laudati Epiſcopi Meldenſis aliorumque correctiones et concludentes impugnationes. Memor enim ſum verborum Apoſtoli ad Titum C. 3. v. 1.* Haereticum hominem poſt unam et ſecundam correptionem devita: ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejusmodi